



Iustus Ionas in Saxonia natus & educatus est. Hic cum prima artium & linguarum fundamenta foeliciter iecisset, se Vuitenbergam ad Academiam contulit, & sacrae Theologiae operam dedit. In ea facultate adeo profecit, ut S. Theologiae Doctor crearetur. Huic eruditioni accedebat vitae innocentia, & singularis prudentia. Itaque in Professorum numerum cooptatus, & Vuitebergensis praepositus electus fuit. Cum etiam anno millesimo quingentesimo uicesimo primo Augustiniani monachi Lutheri hortatu Missas priuatas intermisissent, atque Fridericus Elector ob hanc religionis mutationem turbas timeret, eius iussu ab Academia Iustus Ionas, Melanchton, Ambstorffius, & Iohannes Dulcius electi, qui totam causam inquirerent, & cum principe rem ordinarent. Postea quoque cum inter Euangelicos de Sacramento Eucharistiae contentio orta, & Marpurgi Theologorum colloquium esset, ex Saxonia Lutherus, Melanchton, & Iustus eo peruenerunt, & cum alijs de ea re disceptarunt. Pari modo etiam Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo in Augustanis comitijs cum Electore fuit, atque inter Theologos sibi magnum nomen comparauit. Cum hoc modo Iustus Vuitebergae diu perseverasset, postea Halae Saxonum Pastor constitutus, & earum Ecclesiarum Superintendens factus est. In ijs locis omnia rite disposuit, & Verbo Dei suae fidei creditos parauit. Postea uero cum Lutherus anno salutis millesimo quingentesimo quadragesimo sexto in patriam ad comites Mansfeldicos tenderet, atque Halae apud Iustum diuertisset, is eum secutus, aegrotanti ad mortem usque adfuit, multas de futura uita cum eo quaestiones mouit, & tandem funebri oratione habita, eius obitum diligentissime descripsit. Inter alia quoque pro sacerdotali coniugio contra Iohannem Fabrum librum aedidit, Acta Apostolorum suis annotationibus illustrauit, atque multos Lutheri libros uernacula lingua editos latinitate donauit. Hoc modo factum ut apud posteritatem ob multiplicem eruditionem aeternam memoriam consecutus fuerit. Ioan. Sleid.